

§. XVI. Attamen nec hos desistit ad Conversionem vocare per verbum, imo operari in iis Conversionem DEus, quantum quidem in se est. Id enim ipse testatur per Prophetam dicens: *Tota die extendo manum meam ad populum rebellem* &c. *Esaie LXV, 2. & 12.* & Sapiaentia exclamat. *Vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* *Prov. I, 24.* Quod & Christus in N.T. confirmat, quando dicit: *Jerusalem, Jerusalem, quoties congregare volui filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos, sed vos nolulistis.* *Matth. XXIII, 37.* Unde prædicat de DEo sapiens: *παροργίζεις ἀμαρτήματα ἀνθρώπων εἰς μετένοια: dissimulas peccata hominum ad pœnitentiam.* *Sapient. XI, 24.* ita sane tempore Noë per annos centem & viginti DEus expectabat, & operabatur Conversionem in hominibus, de quibus ipse: *non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* *Gen. VI, 3.* *Conf. I. Petr. III, 20.* Nec ullus Conversioni hominum terminus peremptorius positus est, nisi mors, ut patet ex *Ezech. XVIII, 31. 32.* ubi Dominus. *Projicite à vobis omnes prevaricationes vestras, in quibus prevaricati estis, & facite vobis cor novum & Spiritum novum: & quare sic moriemini Domus Israël. Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus DEus: revertimini & vivite:* unde etiam fiunt inexcusabiles, qui toties vocati non veniunt, sed in peccatis permanent, & pœnis gravioribus aut in hōc aut in futuro seculo afficiuntur. Quæ cum ita sint, multo minus dici potest gratiam Conversionis subtrahere DEum illis, qui cum aliquamdiu in viis Domini ambulassent, relabuntur in peccata, sed asserendum potius, DEum revocare ipsos serio à via peccatorum ad viam salutis. Hoc sanè exsertis verbis docet Scriptura: Hinc Dominus ad rebellem Israelem mittit Prophetam, jubetque eum clamare: *Revertere, rebellis Israël, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis* *Jer. III, 12.* idem inculcat per *Ezech.*